



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1644. usque ad annum 1651

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1779

VD18 90119177

§. 69. Fallax pacis negotiatio rebellium cum Carolo Angliæ Rege.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67359)

Sæc. XVII. *nebrarum*, quibus dictis palam in foro
 A. C. 1645. Londinensi securi percussus est, infelix
 Calvinianæ sævitæ, ac rebellionis
 victima.

§. LXIX.

*Fallax pacis negotiatio rebellium cum
 Carolo Angliæ Rege.*

Sublato ferme unico Regis amico utriusque Curie Senatores, necnon Scoti Presbyterani, ut Regem reconciliationis percupidum eo facilius in causas suas pertraherent, Uxbridam suos Deputatos ablegarunt, ut ibidem cum Regiis Ministris de pace agerent: prævie autem a Rege petebant, ut verum Parlamentum nonnisi ex utraque Curia, & Scotica Deputatione constare agnosceret, & ab his securitatis literas, quas suis Deputatis Richemundio & Suthamptono dari desiderabat, efflagitaret: Duræ huic conditioni annuit Rex, ne pacem in limine exclusisse argueretur: ex hac ipsa vero Regis indulgentia audaciores facti Senatores, viginti octo reconciliationis articulos Regiæ auctoritati, & honori summo pere exitiosos proposuere; hos inter præcipui erant, ut Rex, quæcunque contra Parlamentum, & Scotorum conventionem egisset, irritum declararet,

con-

conjurationem Anglorum, Scotorum-^{Sæc. XVII.}
 que ratam haberet, omnesque suos ^{A. C. 1645}
 subditos ad idem adstringeret, omnem
 Hierarchiam Ecclesiasticam aboleret,
 ad utriusque Curix sententiam Religio-
 nis reformationem fieri concederet, & ju-
 ramenti formula conderetur, vi cujus om-
 nes Jesuitæ, Sacerdotes & Catholici dete-
 gerentur, & juramentum præstare recu-
 santes pro convictis haberentur & Par-
 lamenti decreto sanciretur, ut omnes
 Catholicorum infantes in Protestantium
 Religione educentur: Alio Senatus
 consulto præcaveretur, ne Catholici
 secretos conventus habere, Missas in
 Aula, aliisque Regni locis celebrare
 valerent: ab Amnestia excluderentur
 Palatini Principes, cunctique Bellidu-
 ces & Proceres, & Episcopi de proditi-
 one accusati, necnon Papistæ recu-
 santes, & ad Hibernorum seditionem con-
 currentes, omnes denique, qui sese a
 Parlamento segregarunt, & Regi ad-
 hæserunt, condemnarentur, Regisque
 filii in Protestantium Religione institue-
 rentur: Reliquæ propositiones eo unice
 collimabant, ut Rex ne milites quidem
 conscribere, aut vel bellum, aut quic-
 quam aliud decernere posset, absque
 utriusque Curix consensu, proin si Rex
 hæc propositiones ratas habuisset,
 nulla omnino auctoritas eidem fuisset

Sæc. XVII. relicta, sed retenta Regis larva in ab-
A. C. 1645. jectum degenerasset mancipium. Enim-
 vero Regii Deputati præter præstitutos
 viginti dies, harum propositionum æ-
 quitatem dijudicandi spatium amplius
 petebant; incassum tamen, palam enim
 declararunt rebelles, quod Regi nil reli-
 quum esset, quam hisce propositionibus
 sine ulteriore discussione aquiescere, vel
 illas rejicere; violatis enim Regni le-
 gibus Rex regiminis indignum sese
 reddidisset, supremam igitur auctori-
 tatem ad primævam suam originem
 scilicet populum revocare oporteret.
 Cum ergo Rex his articulis sine aucto-
 ritatis, conscientiæ & honoris dispen-
 dio subscribere haud posset, per suos
 Deputatos horum duritiem æquo mo-
 deramine temperare nitentibus, ac pro-
 pterea Episcoporum jurisdictionem re-
 stringi, circa ritus libertatem cuicum-
 que concedi, aliosque Curiaë articulos
 moderari petebat: Attamen Curiaë in-
 ferioris Senatores, quos inter nova o-
 riatur factio sibi soli supremum regi-
 men vindicandi intenta, omnes con-
 cordiæ vias eluserunt, quocirca hæc
 pacis negotiatio re infecta fuit dissoluta.